



Disciplinae Speculativae generales à se invicem per abstractionem à materia  
 sensibili ita distinguuntur, quae triplicem modum habet abstrahendi à ma-  
 teria Physica et Sensibili, quorum singulas singula etiam convenit Discipline:  
 1. Si abstractio fit solum à materia signata i. singulari, quo modo homo abstra-  
 hitur à materia non, omni, sed singulari solum seu conditionibus individualibus,  
 et talis abstractio est, quae assignatur Physica. 2. Alia abstractio fit à materia et signata  
 et universaliter secundum rationem; Quomodo dicuntur ea abstrahi, quae in materia  
 eadem reserata sunt, et existunt solum, sed tamen tunc abjunguntur in apprehensione  
 sua ab omni materia sensibili: Sic quantitas quidem per se est in materia sensibili,  
 sed tamen à mathematico apprehenditur sine materia sensibili: et ejusmodi ab-  
 stractio secundum rationem competit Mathematici. 3. Alia denique abstractio est, quae  
 fit à materia secundum rem et rationem, uti solet in iis, quae non solum in ap-  
 prehensione intellectus sine materia concipiuntur, sed etiam reserata sunt et saltem  
 ut sic materiam non habent. Quo modo DEUS et Angeli abstrahunt à materia se-  
 cundum rem et rationem, quia hi nec apprehensione mentis concipiuntur cum materia,  
 nec etiam aliqui verè habent materiam, et hic estis modus est quem Metaphy-  
 sica sibi unice vendicat.

In Metaphysicis alia tractantur per se et immediatè et propter disci-  
 plinam ipsam: alia à mediata et per accidens, et propter disciplinas  
 alias, quarum subiecta praecognoscere debet Metaphysica.

Ob K. F.  
 W. F.

iz JC

Signat!

~~SSI~~

DISPUTATIONUM  
METAPHYSICARUM  
UNDECIMA,  
*De*  
NECESSARIO  
&  
CONTINGENTE,

*Quam*  
Ente summè NECESSARIO annuente,  
*Sub PRÆSIDIO*  
M. JOHANNIS SCHARFII

Croppenstädt: Saxoniæ,

*In*  
inçlyta Wittebergensium Academia

*Publicè defendet*

JOACHIMUS RINOVIVS  
Perlebergâ-March.

*Ad diem 26. Julij horis matutinis,  
in Auditorio minore.*



WITTEBERGÆ

Ex Typographico CHRISTIANI THAM,  
Academ. Typogr.

ANNO MDCXXIII.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher.



DISPUTATIONIS METAPHYSICÆ  
UNDECIMÆ

*Proœmium.*

**N**ecessitatis terminus & contingentia nomenclatio omnium in ore est, nec gravitas Theologiae veneranda, nec sanctarum linguarum divinitas istis vult destitui vocibus. Opera ergo erit sat ampla, satq; fructuosa de Necessario & Contingente nunc porro in disputationibus nostris disquirere; cum primis quod ordo idipsum recta exposcat. *De terminâ causarum absolutâ meritissimè succedit Necessitas & Contingentia: Cum hæc è causis ut proximè oriantur & quasi fluant, sic & lucem inde accipiant maximam. Fit mentio in causis agentium necessario & liberè: etiam ipsum Ens maximè denominatur Necessarium & Contingens in ordine ad causalitatem, ut innuit Excell. noster Præceptor part. Metaphys. p.488. & Exerc. p.178. Neq; est, quod illorum instituto turberis, qui Necessarium & Contingens parti speciali Metaphysicæ & speciebus Entis adsignant. Ista namq; clarissimi viri non sunt adeò contra nos: Quippe attendunt Necessarium & Contingens absolutè in ratione existendi, prout coincidunt cum infinito & finito: Non verò prout dicunt habitudinem effectus ad causam naturalitèr aut liberè agentem, ut vel potest vel non potest impediri. Hinc quia supponunt Ens dividi primò in Finitum & Infinitum, putant & Necessarium cum Contingente ad istas species Entis esse revocandum: Quo tamen sensu à modis Entis non planè excluduntur. Verùm cum graves sint causæ, cur primam Entis divisionem dicamus esse substantiam & accidens, maxime cum hæc sint Species Entis naturam ejus prout aliàs in speciebus sit, restringentes per subsistentiam & inhærentiam, sit ut affectio potius dicatur Necessarium & Contingens. Sic enim denominant Ens tantum, ut modi, quemadmodum causa & causatum &c. Nos proinde juxta mentem Præceptorum nostrorum de Necessario & Contingente hic acturi sumus, prout sunt affectio Entis disjuncta. Sic ergo cum Bono Deo*

T H E S I S I.

**O** Mne *Ens* est vel *Necessarium* vel *Contingens*, ita ut dis-  
junctim exhauriant totam entis latitudinem, nec dari  
possit esse verum & reale, quod non cadat sub alterutrum  
horum terminorum membrum.

II. *Utrumq; fluit ex Ente, quatenus tale est, illudq; per se  
denominat*, ut alias solent affectiones veræ: Prout enim en-  
titas rei se habet, ita est rata, firma, invariabilis, vel secus:  
adeoq; ita est, vel *Necessaria* vel *Contingens*.

III. Unde & *nihil verè proprieq; dicitur Necessarium vel  
Contingens, nisi habeat vel adsumat rationem essendi, adeoq;  
sumatur ad minimum ad modum Entis*. Quod si *Necessitas* &  
*Contingentia* tribuantur notionibus secundis, ut in *Logicis*  
dicitur *Syllogismus* vel *Necessarius* vel *Contingens*, id fit  
ex *proportione quadam*, uti *Scheibl. Met. lib. I. c. 19.* vel ut si-  
mul ego judico, *quatenus entitatem quandam à mente acci-  
piunt*, quomodo constat, quod omnis conceptus formalis  
(etiam entium rationis & figmentorum) sit realis & ens po-  
sitivum.

IV. Scilicet *uti cognoscuntur: Ita & Necessarii vel contin-  
gentes censentur conceptus sive simplices sive compositi*. At ad  
modum entis sive sub ratione essendi intelliguntur. Ergo  
ita istis non in scitè tribuetur affectio quædam entis, qualis-  
cunq; ista sit, modo istius genio respondeat.

V. Quid itaq; *Necessarium* sit, prius interest dignosce.  
*Vox Necessarii*, si *Etymologiam* spectas, dicitur vel à *cessando*  
per *ἀνλιπέγων*, quod ibi minimè cessetur: vel potius cum  
*Scal. lib. II. de caus. I. I. cap. 166.* quod sine illo res *nec esse*  
possit.

VI. Hinc vox *Necesse* primò imposita est ad significan-  
dum id, quod est *alii necessarium*: Inde postea tracta est ad  
denotandum id, quod *in se* tale est. Item, apparet ex istà no-  
tatione, quod vox *Necesse* primò significet *indigentiam* sive  
calami-

calamitatem, quæ talis est, ut in ea sublevanda non sit cessandum: Indeque rursus tracta sit ad notandam necessitatem entium.

VII. Græci hic sunt feliciores in verbis: Ubi illam ambiguitatem necessarij facile evitant distinctis suis vocabulis. Nam *Necessitatem illam pro indigentia sumptam vocant* *ἡμεῖς*; alteram verò vocant *ἀνάγκη*. Rectè monet hac de re Chemnitius in locis Theol. de bonis operibus quest. 4. c. 1. his verbis. *In locis scripturæ habentur vocabula ἀναγκῆς, ἀναγκῆς seu ἀνάγκη: Aliud autem est ἡμεῖς ἕξεν, quod in Novo Testam. sæpè vertitur, Necessè est; cum potius designet indigentiam alicujus rei, quàm alicui opus est. Ideò studiosi veritatis diligenter caveant, ne fortasse hac phrasi incautius utentes decipiantur. Vide ibidem plura.*

VIII. Hoc etiam ex communi more loquendi habemus, quod necessitas primò magis significet violentiã, eim Nothzwang/ quàm immutabilitatem entis in se. Sic enim vulgò dicitur *necessè esse, quod nulla vi esse cogitur, & necessè non esse, quod nulla prohibitione removetur. Ita dicimus Deum necessariò esse immortalem, & nemo tamen cogit Deum ut sit immortalis, ait Anselmus in lib. de concord. præsci. & prædest. citante Sebeibl. lib. 1. Met. cap. 18.*

IX. Ex quibus omnibus ambiguitas *Necessè* five *Necessarij* non potest non apparere, quod nimirum vox *Necessè* nunc sumatur *pro indigentia*; nunc *pro immutabilitate*; nunc *pro utilitate*; nunc *pro violentia*.

X. Hispanus in cop. log. part. 1. æquivocationem *Necessè* five *Necessarij* hisce exprimit versiculis:

*Utile, perpetuum, sustentans & violentum,*

*Quatuor expressè vox denotat ista NECESSÈ.*

XI. Ergò necessarium i. idem est, quod *utile*. Sic Equus est necessarius peregrinanti, nempe ad commodiorem peregrinationem, adeoque est utilis, non verò ad peregrinationem

mem simpliciter. 2. Necessarium est idem, quod *perpetuum*. Talis necessitas tribuitur Deo & essentialibus propositionibus. 3. Necess. est idem, quod *sustentans*. Sic homini est necessarius cibus & potus. 4. Necess. est idem, quod *violentum*. Sic fur necessario abit ad patibulum, qui ad illud trahitur à carnifice.

XII. *Arist. 4. Met. cap. 5. de ambiguitate & Necessarii quatuor hosce modos proponit. Necessarium, ait, dicitur (1) id, sine quo non contingit vivere tanquam concausa, ut respirare & alimentum animali necessarium est: Impossibile enim est absq; his animal esse. Et (2) sine quibus bonum non contingit aut esse aut fieri, sive aliquid mali repellere, aut eo privari: Ut bibere portionem medicatam sive medicamentum est necessarium, ut non aegretet. Item (3) violentum & vis: Hoc autem est, quod præter propositum & electionem obstat & prohibet. Violentum enim, Necessarium dicitur, quare etiam triste, & vis necessitas quadam est: Et necessitas rectè videtur inevitabile esse. Contrarium enim voluntario & secundum cogitationem motui est. Item (4) quod non contingit aliter se habere; Necesse dicimus, ita se habere. Et secundum hoc necessarium cætera quoq; omnia dicuntur quodammodo Necessaria. Vide ipsum ibid. & interpretes eum in locum.*

XIII. *Averroës in illum Arist. locum comment. Met. ita loquitur. Necesse est vel Naturale vel voluntarium. Et hoc est necessarium vel elective, ut medicinam sumere; vel non-elective & coacte, ut si quis coacte præcepto reis interficiat necessario. Similiter in naturalibus Necessarium dupliciter dicitur: Uno modo; ut *Es s E rei conservetur*, ut nutrimentum in rebus animatis: Alio modo pro eo, quod aliter se habere non potest. Hoc absolute Necessarium vocat & famosum, propterea, quod cætera dicuntur Necessaria participatione & transumptivè propter consuetudinem inter illam. Inducitur autem modus consimilitudinis, & dicitur, quod ista omnia, que necessaria*



cessaria judicantur, non sunt in veritate per convenientiam, quam habent cum vero necessario. Actiones enim non dicuntur necessaria, nisi quia necessarium est illud, quod impossibile est, ut aliquid agat diversum ab illa actione, qua cogit nos sic facere, & dum in nobis actio illa invenitur, cogens nos sic agere necessitate, in nobis etiam invenitur modus verae necessitatis, quæ est aliter se habere non posse. Hactenus Arabs.

XIV. Non inutiliter etiam monetur, quod Necessarium aliter dicatur in essendo, aliter in prædicando, aliter in causando.

XV. Necessarium in causando nihil aliud erit, quam causa necessaria: Quæ scilicet necessario agit vel necessitate nature, quomodo ignis necessario urit; vel necessitate coactionis & violentiæ. Quam utramque necessitatem Arist. reduxit ad causam efficientem cap. 10.

XVI. Necessarium in prædicando est ipsa necessitas complexa sive propositio necessaria, in qua prædicatum necessario tribuitur subjecto, sive illa propositio sit pure necessaria, ut quando dico: Homo est animal; corpus est quantum; sive saltem sit modaliter & per expressum modum necessaria, ut quando dico: Necessè est hominem esse doctum.

XVII. Necessarium in essendo, nihil aliud est, quam Ens necessarium, quod in se & sua natura est invariabile.

XIX. Summatim ex his omnibus cautè observandum erit, quod Necessarium dicatur 1. in ratione essendi, quomodo illud Ens est Necessarium, quod non potest se aliter habere, adeoque immutabiliter est in essentia, uti simpliciter Deus est necessarius, & natura Angeli, cælum, & suo modo res naturales, similesque non dependentes ab arbitrio hominis: 2. in ratione operandi, quomodo Necessarium dicitur omne id, quod necessario agit, ita ut non possit non semper uno eodemque modo agere, positis scilicet omnibus requisitis & remotis impedimentis.

Sic

Necessarium

I. in causando

1. nature  
2. violentiæ

II. in prædicando

1. pure

2. modaliter

III. in essendo

Necessarium  
1. in essendo

2. in operandi

Sic omne corpus naturale, in quantum est purè naturale,  
3. rati. efficiend. necessariò agit. 3. in ratione efficiendi aut attributorum, quo-  
modo Ens necessarium dicitur id omne, cui insunt affectio-  
nes certæ & determinate, ita ut per naturam de ipso removere  
non possint. Sic propria in quarto modo dicuntur esse neces-  
saria & necessariò insunt suis subjectis. Sic Homo necessa-  
riò est docilis. Sic corpus necessariò est quantum. Sic Spi-  
ritus necessariò est immaterialis &c.

XIX. Hæc ita de equivocacione vs. Necesse sive Necessarii  
prænotasse plurimum expediet. Nunc propius ad ipsam  
realem Necessarii pensitationem accedamus: Et ut juxta me-  
thodum nostram agamus, exquiramus Necessarii tum de-  
finitionem sive formalem ejus rationem, tum distinctiones,  
tum fundamentum sive radicem ejus.

XX. Quod definitionem Necessarii concernit, illa tradi-  
tur à variis variè. Timplerus formalem rationem Necessarii,  
ponit in actu Necessarii, quatenus Necessarium est. Item, in  
qualitate, per quam Ens aliter se habere non potest. lib. 2. Met.  
c. 6. Verum inepta est illa definitio, & involvit in primo ob-  
scuritatem, cum dubitari possit, an Necessarium ubiq; for-  
maliter sit actus, aut si sit actus, ubiq; tamen committitur tau-  
tologia & nugatio, eò quod sic idem definiatur per idem, nem-  
pè Necessarium per semetipsum. In altero, ubi de qualita-  
te Necessarii loquitur, confundit qualitatem cum modo & con-  
ceptus transcendentales cum predicamentibus. Vide Dn. Jac.  
Mart. lib. 1. part. Met. sect. 10. q. 1.

XXI. Zabarella lib. 1. de nat. Log. cap. 2. de Necessario ita  
loquitur. Necessarias res voco tum eas, quæ ipsæ per se semper  
sunt, & nunquam fiunt, tum eas quæ fiunt quidem, non tamen  
à voluntate nostra, sed à natura per certas causas operante.  
Hæ namq; et si quatenus sunt singulares, non semper sunt; ta-  
men quatenus ad universitatem rediguntur, & ita à certis cau-  
sis dependere necessariò considerantur, ut eas esse aut non  
esse,

esse, fieri vel non fieri, non sit in nostra voluntate constitu-  
tum, eatenus necessaria ac sempiterna dici possunt, cujusmodi  
esse res omnes naturales manifestum est.

XXII. Vicissim *res contingentes* vocat, *quæ ab hominis vo-  
luntate pendent*, quoniam eas facere, vel non facere in arbi-  
trio nostro positum est &c. Ita ergò iste describit contin-  
gentiam per respectum ad arbitrium nostrum ut & necessi-  
tatem, per ejus defectum. Quæ nos suo loco relinquimus.

XXIII. Scheibl. clarius putat describi *Necessarium in or-  
dine ad immutabilitatem*: Unde dicit, quod *Necessarium esse  
id, quod habet entitatem immutabilem*. Quæ tamen descri-  
ptio etiam non caret perplexitate. Non enim apparet,  
quomodo omne Necessarium statim sit immutabile, quem-  
admodum in aprico est, quod Contingens omne non sta-  
tim sit mutabile; Imprimis in Deo, qui contingenter (hoc  
est ex libertate) agit, neq; tamen ullo modo mutatur per  
suas actiones.

XXIV. Nos ergò manemus in verbis Aristotelis, qui  
*ἀναγκάσιον* dicit τὸ μὴ ἐνδεχόμενον ἄλλως εἶναι, lib. 4. Met. c. 5. & 1.  
post. cap. 29. & alibi. Ergò juxta Arist. *Necessarium est id,  
quod non potest aliter se habere, sive quod non contingit ali-  
ter esse*.

XXV. Proindè nobis quidem melius videtur, si *forma-  
lem rationem Necessarii* universaliter sumti ponamus in IN-  
VARIABILITATE, ita ut *Necessarium dicatur id, quod est  
invariabile, sive quod habet entitatem invariabilem*. Quo-  
modo Necessarium includit essentialiter entitatem ipsam si-  
ve Ens ipsum tanquam materiale, & invariabilitatem,  
ut formale.

XXVI. Quod dum asserimus, non inficiamur, quod  
*Necessarium in particulari* (nempe dependens) consistat in  
*immutabili causa & effectus connexionem*, ut Scal. vult Exerc.  
307. sect. 25. vel quod consistat Necessitas quædam in repu-  
gnantia

B

gnantia

gnantia non-essentis ob summam & intimam causam & effectus  
cohesionem, ut docent Dn. Jac. Mart. dicto loco. Dn. Gutk. Con-  
templ. Met. disp. II. th. 5. Havven. super 4. Met. cap. 5. Hi enim  
loquuntur de necessario juxta primarium analogatum, quod  
est in cognitione nostra, adeoq; de eo in particulari: Nos  
verò *precisè* loquimur de Necessario, ut sic, in universali.  
Quomodo sanè *Necessarium non semper dependet ex causa ne-  
cessaria*, ut potissimum patet *in entitate Dei*, quæ est necessa-  
ria, ut & *in attributis divinis*, quæ necessario conveniunt Deo *si-  
ne omni causa & causati respectu*.

XXVII. Ne ergò hic animum demus aberrandi, malu-  
mus *Necessitatem abstrahere à causalitate*, & ita eam universa-  
lissimè sumtam ponere in INVARIABILITATE. Sic enim  
sine omni periculo erroris & Deo tribuetur necessitas. Quia  
enim *essentia Dei non variat, neq; variari potest*: Itemq; quia  
attributa Dei, nempe justitia, bonitas, scientia, misericor-  
dia &c. *invariabiliter* se habent in Deo, etiam Necessitas  
hoc modo definita optimè in Deo obtinebit, tum ratione  
essentiæ, tum ratione attributorum.

XXVIII. Porro necessitas hæc non ubiq; est uniformis,  
sed distinctiones ejus sunt benè multæ. 1. *Necessarium distin-  
guitur* sive dividitur *in Complexum & Incomplexum*. Illud in  
Logicis evolvitur. Est enim nihil aliud, quàm *Enunciatio ne-  
cessaria*, sive sit *modalis* & saltem *quoad modum enunciandi ne-  
cessaria* sive sit *apodictica*, & insuper *materialiter* necessaria.  
Uti hac de re disputant Logici. Confer Exerc. Met. Dn. Jac.  
Mart. Exerc. 5. Theorem. 2.

XXIX. *Necessarium Incomplexum* est res simplex, prout  
nimirum ipsa rei natura non potest se aliter habere. Et sic  
Deus est Ens necessarium, Homo, Corpus, Angelus &c.  
De hoc unice disquirat Metaphysicus.

XXX. Et hoc incomplexum necessarium vel est *absolu-  
tum*, vel *conditionatum* sive hypotheticum. *Absolutum neces-  
sarium* propriè dicitur *Necessarium*, estq; id, quod in sese &  
suà na-

Ⓒ  
Absolutum.

suâ naturâ est invariabile. Sic omne Ens, quod ab extrinsecis non potest mutari, dicitur Necessarium, cum semper uno eodemq; modo se habeat, tum *in essendo*, tum *in agendo*, tum *in afficiendo*. Aliàs etiam dicitur simpliciter & verè Necessarium.

XXXI. *Absolutum necessarium est duplex.* Vel n. eius Necessitas simpliciter est absoluta, & absolutissima, vel saltem secundū quid, & suo modo, nempe determinatè sive in suo genere.

7. Inq. (1)  
Independem

XXXII. *Necessarium simpliciter absolutum est, quod planè nullo modo potest variari* vel aliter se habere: nempe quatenus est necessarium, sive illo respectu, quo dicitur Necessarium. Et hoc Necessarium est *Independens*, quod ab omni causa, & ab omnipotentiâ subjectivâ immune est, adeoq; planè immutabiliter est, eò, quod suam entitatem & necessitatem non alteri debeat, sed ipsam à seipso habeat. Aliàs dicitur *Necessitas essendi à Scoto*. Sic solus Deus est Ens Necessarium, tam in ratione attributorum divinarum, quam in ratione existendi, quippe solus Deus est actus purissimus exclusâ omni potentiâ ad essendum. Hinc Deus rectè dicitur ζῶν ἀίδιον ἀεισόν vivum sempiternum optimum Ens ab Arist. lib. λ. Met. cap. 7. (dicit ζῶν, non ζῶν, uti quidam Aristotelem non intelligentes delirarunt.) Item. Hoc est, quod Deus absolutissima necessitate dicatur justus, verax, bonus, quod necessariò sit infinitus, immensus, omniscius &c. Confer Dn. Jac. Mart. in part. Met. lib. 1. sect. 10. tb. 10. Item in Exerc. lib. 1. Exerc. 5. Theorem. 6. & Gutk. disp. Metaphys. 11. tb. 7.

XXXIII. *Necessarium κατὰ τὸ πᾶν in certo genere absolutum est, quod non planè omnibus modis est invariabile, sed saltem in certo ordine causarum:* Et hoc est *dependens Necessarium*, quod entitatem & necessitatem suam ab alio trahit, undè & *Necessitas dependendi* solet appellitari. Dicitur autem necessitas hæc, quâ necessaria denominantur res, non solum ob actum existendi, sed ob causas necessarias antegressas proximas. Et sic Creaturæ habent aliquam necessitatem.

7. Determinati  
(1) Dependem

*dependens.*

XXXIV. Hoc *necessarium dependens* propriè consistit in *immutabili causa & effectus connexione*: ubi aliquid ex causis necessariò ad effectum concurrentibus habet productionem & existentiam necessariam. Quando scilicet *ad aliquam causam necessariò sequitur effectus*; tum ibi necessitas est absoluta, dependens tamen, quia *non omnimodè absoluta est, cum à superiore causa, nempe à necessario Independenti inhiberi possit causa, quo minus talem edat effectum*, vel etiam ejusmodi *necessarium dependens* planè mutari possit ab eo, à quo dependet, uti apparet in *necessitate rerum Physicarum*.

*absoluta natura*

XXXV. Rectè igitur ita describitur *Necessarium natura* & suo modo *absolutum*, quod sit is *necessitatis gradus*, quo coheret effectus cum causa, quæ eodem modo se habet semper, & eodem modo *constanter agit*, ita ut ab ordine suo *prescripto non facile neq; frequenter recedat*. Sic cœlum sive Sol movetur, & quidem semper eodem modo, nec potest non moveri, nisi virtute divina impediatur. Gutk. d. l.

*Physicum.*

XXXVI. Huc directè spectat *Necessitas Physica*, quæ est, quando *agens naturaliter non potest non talem edere effectum, propterea, quod illius natura ita ordinata est*. Sic ignis naturaliter urens non potest non comburere. Quæ *necessitas dicitur tam ratione causæ, quàm effectus*.

*Physicum*

XXXVII. Notandum hîc cautè est, quod *Necessitas Physica sit dependens necessitas*, quæ quidem *naturaliter est immutabilis*, & tanta etiam, ut non solum per *intrinsecam virtutem ipsius facultatis*; sed etiam per *quascunq; causas alias naturales auferri non possit aut impediri*, quo minus prodeat in actum: Attamen *non planè est immutabilis, sed potest à prima causa, vi nempe omnipotentis Dei, auferri & impediri, quia scilicet dependet à Deo omnis conditio causarum naturalis*. Sic Sol quidem *necessitate naturali immutabiliter movetur*; sed tamen *Deo jubente Sol stabat in medio celi immotus in pugna Josue. Jos. 10. v. 13. &c.*

XXXIIX.

XXXIIX. Notanter ait *Excell. Dn. Jac. Mart. Exerc. 5. l. 1. theor. 6.* *Necessaria dependentia vocamus species in natura rerum, quae voluntate Dei condita nutu ipsius Dei dependent. Dicuntur itaq; dependentia, quod neq; entitatem, neq; necessitatem à se habeant, sed à suo conditore: Dicuntur necessaria, quod necessariam essentiam & definitionem, adeoque causas necessarias proximas, habeant.*

XXXIX. Porro Necessarium absolutum subdividi potest variè. Quia enim *in immota causarum & effectuum dependentia* consistit, juxta diversitatem causarum distinguendum erit. Undè *Necessitas illa absoluta* derivatur vel à *causa efficiente naturali* vel à *materia* vel à *forma*. (Alii absolutam necessitatem etiam desumunt à *sine* tanquam à *causa posteriore*, sed tamen reverà *finis conditionem aliquam ponit*, ob quam aliquid aestimatur necessarium. Malumus ergò finem referre ad necessitatem conditionatam, ut mox patefcet.)

XL. Necessitas absoluta *ab efficiente naturali* est ipsa necessitas *Physica & dependens*, de qua satis dictum est. Rectè *Philippus Melanch.* illam simpliciter vocat *Physicam*: Quia, inquit, *quae hoc modo necessaria sunt, propterea necessaria dicuntur, quia natura eorum sic ordinata est, sed tamen à Deo mutari possunt, & si divina potestate mutantur, nihil contradictionis implicant.*

XLI. Necessitas à *materia* est, quando datâ materiâ, necessariò quoq; dandæ sunt affectiones materiales. Sic corpora necessariò sunt quanta, densa, rara.

XLII. Necessitas à *forma* est, quæ naturam formæ immutabiliter insequitur. Estq; juxta Zab. lib. 2. de prop. Necess. c. 10. duplex: Constituens vel Consequens.

XLIII. Necessitas à *forma constituens* dicitur *necessitas definitionis*. Ut quando partes definitiones necessariò insunt definito. Sic animal necessariò inest homini. Sic rationale necessarium est homini.

ab eff. nat.  
dura ca. d. d.  
eff.

a ma

a fa

definiem

definiem

*94*  
XLIV. *Necessitas ad formam consequens* dicitur *necessitas demonstrationis*, quâ propriæ passionis sive affectiones immutabiliter insunt essentiæ. Sic Corpus necessariò est quantum. Sic Homo necessariò est docilis.

XLV. *Utraq; est validissima, ejusq; absentia involvit contradictionem; cum neq; partes essentielles rei; neq; essentialia consequentia à re abesse possint, salvâ rei essentiâ, Nisi forte per potentiam Dei absolutam consequentia illa inibebantur.* In statu & cursu naturæ nunquam quidem separantur: à Deo tamen omninò possunt propria illa accidentia separari. Contradictio enim illa, quam eorum absentia infert, saltem est implicita, & respectu Dei nulla, ut alibi demonstratur fufius.

XLVI. Sic fuit *Necessitas absoluta* sive *Necessarium simpliciter dictum & verum*; nunc sequitur *Necessitas conditionata sive hypothetica*, quæ aliàs *Necessarium dicitur naturalis secundum quid & apparens*.

*Conditionata*  
XLVII. *Necessitas hypothetica* ita dicitur, quod ex certa *suppositione*, & conditione assumat aliquam *invariabilitatem*, adeoq; de se admixtam habeat *contingentiam*: Scilicet causam necessariam non habet, sed duntaxat propter conditionem, immutabiliter annexam, non mutatur. Ut qui ambulat, necessariò movetur: Verum causa ambulationis necessaria non est.

XLVIII. *Hypothetica necessitas vel desumitur à causa; vel ab actu existendi. Illa iterum duplex est; vel à fine; vel ab efficiente non-naturali.*

XLIX. *Necessitas hypothetica ratione finis est, quando aliquid Necessarium est ad finem obtinendum, sive simpliciter sive expedite. Undè partim ex suppositione finis, partim ex ratione expedientia, Necessarium dicitur.* Sic respiratio & nutritio est necessaria homini si vivere debet. Sic necessarius est equus ad iter commodius & facilius perficiendum. Sic transituro flumen ratione expedientia necessarius est pons aut navis.

L. Ne.



L. Necessitas ex hypothesi *ab efficiente non naturali* dependet vel à *causa supernaturali*, ut à Deo, vel à *causa preternaturali*. Necessitas à causa supernaturali locum habet in omnibus rebus creatis, quatenus necessariò omnes creaturæ coguntur obedire suo creatori. Sic Deus jubet Solem stare aut retrogredi. Sic ferrum natabat modo supernaturali, lib. 4. Reg. cap. 6.

L I. Necessitas hypothetica à *causa preternaturali*, vel est *coactionis* vel *violentia*. Illa (coactio) tantum reperitur in iis, quæ cognitionem habent: Estq; *quando contra voluntatem & cum dissimulata quadam agere & cooperari coguntur*. Sic fur necessariò abit ad patibulum. Sic nauta ad evitandum naufragium, & in summo vitæ periculo constitutus projicit merces in aquam.

L II. *Necessitas violentia* est, quando contra naturalem propensionem ab externa vi patitur subjectum. Et hæc non modò est in irrationalibus, sed etiam nonnunquam in rationalibus. Sic lapis per necessitatē violentiæ projicitur sursum.

L III. *Necessitas conditionata a ratione actus essendi* desumitur ex ipsa rei existentia. Undè est talis necessitas, *cujus nulla datur causa præter nudum existentia actum*: Cujus fundamentum est illa regula communis: *Impossibile est idem esse & non esse*. E. g. eo momento, quo aliquis ambulat non potest non ambulare, & ita necessariò ambulat.

L IV. Huc referri potest communis illa distinctio, quæ *Necessitas dicitur vel consequentis vel consequentiæ*. Hæc enim penè coincidit cum nostra data distinctione Necessarii in absolutum & conditionatum. Scilicet *prior* (Necessitas consequentis) *refertur ad absolutam*; *posterior* verò (necessitas consequentiæ) *est ipsa necessitas conditionata sive hypothetica*.

L V. *Necessitas consequentis est ipsa rei necessitas, quæ consistit in essentiali cause & effectus dependentia*, quando nimirum res sequitur ex causa antecedente necessaria: vel ut alii dicunt, *quando tam antecedens quam consequens*  
in se

*in se est necessarium.* Sic ignis necessariò comburit stipulas. Sic Luna necessariò humectat. Sic canis necessariò habet vim latrandi &c.

LVI. Verum *Necessitas Consequentia non est ipsius rei necessitas, cum illa in sua natura sit mutabilis & contingens: Sed illius est necessitas, quod ad rem illam positam sequitur: vel ut alii dicunt: Necessitas Consequentia est, quando consequens non est necessarium, nisi posito antecedente: Ita tamen, ut tàm antecedens quàm consequens in sese sint Contingentia.* Sic dico: Necessum est ignavum manere indoctum. Item, Necessè est ambulanti moveri. Item, *Necessè est venire scandalum scilicet necessitate consequentia: Quia mundus nunc supponitur malus & proclivis ad scelera: Quo antecedente posito non potest non sequi illud consequens, nempe scandalum.* Confer Dn. Jac. Mart. in Exerc. Met. Part. dicto loco. Item Scheibl. lib. 1. Met. cap. 18. tit. 4.

LVII. Alii aliter dividunt Necessarium. Quidam cum Bonavent. dicunt, Necessarium tribus modis posse dividi. 1. Pro diversitate causarum. 2. juxta varia principia, à quibus Necessitas pendet. 3. juxta modos absoluti & conditionalis. Sed brevitatis ergò nos hac vice ejusmodi distinctiones omitterimus. Imprimis cum possint omnes revocari ad nostras datas divisiones. Nam quod tertium modum dividendi attinet, expressè iste habetur in thesi nostra 30. Similiter primus modus dividendi ex causis desumptus à nobis est adductus. Saltem ergò de altero modo dividendi, dubium esse possit.

LIX. Sed res ista facilè componitur. Dicunt, quod *necessitas juxta principiorum veritatem estimetur, vel à principio disconvenientia, vel sufficientia, vel deficientia.* Illa dicitur, vel violentia vel coactionis, de quibus dictum est supra. *Necessitas sufficientia est, quando aliquid ex omnibus causis ad effectum concurrentibus necessariò producitur: Quæ necessitas coincidit cum Physica nostra necessitate.*

LIX. Ne-

LIX. *Necessitas deficientia* vel dicitur *indigentia* vel *inevitabilitatis*. Illa est, juxta quam res aliqua nata est compleri, vel quando aliquid aliquibus indiget ad sui conservationem, quibus deficientibus & ipsum necessario deficit. Sic cibus & potus vitæ hominis est necessarius, eò quod sine eo deficiat, cum eo ipso nata sit complere. *Necessitas inevitabilis est*, quæ ex defectu oritur, quo sine res sustentari nequit. Ut mors ex defectu humidi radicalis. Vide *Combach. Metaphys. cap. 13.*

LX. Deniq; *radix Necessitatis in dependendo*, sive in necessario dependente est *immutabilis & invariabilis causarum nexus*, quo effectus non potest non dependere à causa, quoque ob rationem seminalem causis inferioribus impressam non potest non produci effectus. Gutk. disp. Met. II. t. 33.

LXI. Quod si verò *in universali Necessitatis radix* danda sit; illa vix alia esse poterit, quam *actualitas rei*: Ita ut *omne Ens ratione actus, quem habet, obtineat necessitatem actui correspondentem*. Scilicet in quantum aliquid est actu vel actus, in tantum etiam est necessarium: Quemadmodum *potentialitas secum trahit contingentiam*. Hæc de Necessario.

LXII. Porro ut *de Contingente* moneamus, primò quoad vocem notandum venit, quod *vox Contingentia sit æquivoca*. Vel enim sumitur *improprie & late* pro omnibus iis, quæ fiunt aut consequuntur, quo sensu etiam necessaria includit, & *notat omne possibile*, sic dicunt: *Contingit terram stare, & calum moveri*: vel sumitur *specialiter usu magis proprio*, prout opponitur Necessario; quomodo *Contingens dicitur id, quod antequam actu sit, produci vel non-produci potest, sive quod esse vel non-esse potest*. Confer part. Met. Jac. Mart. d. I. Et sic h. I. sumitur.

LXIII. Deindè notandum, quod *Contingentia* sumatur vel *in Universali*, vel *in particulari*. *Contingentia in*  
C Univer-

Univ. Jalen

*Universali* dicitur, Universalis Contingentiae conceptus, quatenus scilicet illa formaliter, idealiter & in ultima abstractione spectatur. De qua dicunt authores, quod *includat necessitatem aliquam, ita ut necessario danda sit quadam contingentia rerum.*

LXIV. Et hoc etiam facile apparet. Non enim omne Ens est necessarium aut invariabile, sed multa videntur actu mutari: Multa in se habent principium mutandi, & variandi, ut possint hoc vel illud suscipere, hoc vel illo modo agere, imò possint & agere, & planè non-agere pro libitu, uti manifestum est in hominibus: Multa licet actu non variant, possunt tamen variari, mutari, atq; aliter se habere. In his ergò omnibus dabitur quadam contingentia, secundum quam aliter atq; aliter se habere possunt.

*In particulari*

LXV. Contingens in particulari est Ens determinatum, certum & particulare prout illud contingenter se habet, hoc est, per suam naturam fieri vel non-fieri, esse vel non-esse, agere vel non-agere, inesse vel non-inesse potest. Sic Homo Contingenter ambulat, quia potest ambulare, & non ambulare.

LXVI. Hec jam Contingentia nullo modo admittit necessitatem, nisi fortè limitetur & determinetur per certas condiciones, suppositiones, existendi modos, circumstantias &c: Sed de se negat & tollit necessitatem, eiq; opponitur.

*Incomple-*

LXVII. Cæterum quomodo hoc Contingens dividatur in Incomplexum & Complexum: In aequale & inaequale: In presens, præteritum & futurum, vide in part. Met. Dn. Jac. Mart. d. l. Nos notabiliores hasce duas distinctiones hac vice saltem notamus, quibus Contingentia dicitur vel Intrinsicæ vel Extrinsicæ. Item quibus alia dicitur in essendo, alia in operando.

LXVIII. Contingens in essendo est, cuius esse est mutabile, adeoq; & esse & non-esse potest. Quomodo omne corruptibile est Ens contingens. Sic omnia corpora mixta sunt  
Entia

Entia contingencia, ut & alia, prout ab aliqua causa superiore illorum esse mutari potest.

LXIX. *Contingens in operando est, quod in operationibus est variabile, adeoq; aliter atq; aliter operari potest. Sic agens liberum est contingens in operando. Huc addi potest Contingens in afficiendo, quando vel subjectum quoad affectiones mutari potest, vel accidens mutabiliter inest subjecto.*

LXX. Tandem *Extrinseca Contingentia* dicitur, quæ obtingit rei per accidens quatenus ab extrinseca vi mutatur vel impeditur. Sic in actionibus creaturarum dari potest ubiq; Contingens aliquod.

LXXI. Verum *Contingentia Intrinseca* est ipsa libertas voluntatis, quæ & agere & non-agere potest. Et sic etiam in Deo datur Contingentia, quia scilicet est agens liberum & voluntarium. Sed hæc quoad theses.

### Usus & Abusus.

U Sus hujus disputationis insignis est. Prodest insigniter in *Logicis*, ut accuratius queamus discernere tum *inter Materialem & Formalem Logicam partem*, quarum confusio confusissimam illam *Rameam nuncupatam* introduxit: tum *inter propositiones Necessarias & Contingentes, inter syllogismos demonstrativos & Topicos &c.* Prodest generaliter in tota totius Philosophiæ divisione & constitutione: Dum objectum ejus evoluit & determinat. *Necessarium* adsumit sibi Philosophia Theoretica: *Contingens* verò Practica. Hic autem utrumq; distinctè proponitur. Indè *distinctio istarum Philosophiæ partium facile perspicitur.* In simul & dignitas illarum ex hac ipsa disputatione poterit dijudicari atq; dignosci per certitudinem, qua diversimodè gaudent. *Theoreticæ* hæc doctrina primas idcirco tribuit, quia in illa deprehendit *necessariam consecutionem & inevitabilem rationem cause ad effectum*: Quæ cum in practicis non detur, meritò Philosophia practica

Theoreticis scientiis censetur debilior & infirmior, adeoq; minoris dignitatis optimo jure arguitur. In specie quid commodet in hac vel parte Philosophiæ non poterit esse obscurum. Sanè in *Physicis contemplationibus* multum lucis adfulget doctrina Necessarii & Contingentis, sive circa cælum, sive circa elementa, sive meteora, sive circa metalla &c. & circa eorum operationes versamur: Imprimis quando de *Necessitate Physica*, quæ obtinet in illis naturalibus corporibus, disquiritur: Scilicet ex illa scimus, quod quidem *magna sit necessitas illa rerum Physicarum, sed tamen dependens, adeoq; inhiberi possit ab illo ente, quod est independenter & à se necessarium.* Ita facile concidit *Fatum Stoicum.* In generationibus Physicis edocet semper generari substantiam & speciem perfectam integramque, si vis & activitas integra adsit, si nullum objiciatur impedimentum, si subsit materia & subjectum idoneum, aptumq; medium, & formæ absentia. In *Ethicis* monet *actiones humanas non esse necessarias, sed contingentes*, proindeq; neminem neq; ad virtutem neq; ad vitia cogi. Quid aliàs distinctiones Necessarii & Contingentis commodent in Philosophicis disputationibus, nolo nunc pluribus recensere. Res ipsa loquitur, & praxis quotidiana usum hujus disputationis satis superq; commendat atq; illustrat. In *Theologia* usus ejus est amplissimus, & maximè necessarius, ita ut *D. Chemnitius peculiare caput de distinctione Necessitatis in Locis suis Theol. consignarit. Loc. 5. de causa peccati. cap. 5.* itemq; aliud caput de *Contingentia in peccatis, Loc. Theol. 6. cap. 3.* Nos breviter quædam attingemus. Elucescit ex hac doctrina *malum sive peccatum non necessario, sed contingenter esse introductum*, & adhuc hodiè contingenter fieri. Undè *Manicheorum error* de primo malo facile exploditur. 2. *Illustrat miraculorum rationem*, quomodo à naturali agente non possint fieri miracula, eò quod natura semper eodem agat modo, & quidem necessario idem semper ef-

per efficiat: Itidem cum *Physicâ necessitate conciliat miracula, ostendens non repugnare illa causis naturalibus: sed supra earum vires superiore causa produci.* 3. Quomodo commo-  
det in articulo de Bonis operibus, ex D. Chemnitio iterum inno-  
tescet *Loc. de Bonis operibus cap. 1.* Sanè ad intelligendam  
istam quæstionem hæctenus multis modis agitatam: *An bo-  
na opera sint NECESSARIA,* non parum prodest. Poterit in-  
dè perspici, quomodo & *Necessaria* dici queant, & libera.  
*Libera* quidem, quod proveniant à causa libera. *Necessaria*  
verò *non necessitate coactionis, meriti aut restitutionis ad salu-  
tem, sed ordinis, conscientia, mandati, & debiti.* Etiam ex  
præsenti disputatione poterit dijudicari *Libertas Renato-  
rum,* qui dicuntur *Liberi à Lege:* quod nempe istud non sit  
simpliciter verum. Non enim verum est quoad obedienti-  
am, sed quoad damnationem. Peculiariter prodest *distinctio*  
*Necessitatis in Absolutam & Conditionatam,* sine qua permul-  
ta nequeunt, etiam in Theologia benè intelligi, minus de-  
xtrè explicari aut defensari: Similiter plurimum prodest di-  
stinctio *Necessarii,* qua *Necessitas* dicitur vel *consequentis vel*  
*consequentia.* Quod ipsum fusissimè possit ostendi, si opus  
censeretur. Dicunt, si homo lapsus est, necessum est Deum  
id ab æterno prævidisse. Quæ quæso id ritè percipies sine da-  
ta distinctione? Audi ergo Dn. Jacob. Mart. Exerc. Met. 5.  
Theor. 4. *Verum, inquit, id est, si rectè intelligatur, & ne-  
cessitas consequentia & consequentis rectè distinguatur. Labi*  
*in primis parentibus erat contingens, & non necessarium, po-  
terant enim non labi: Illud autem quod sequitur, est necessa-  
rium, nempe DEUM id ab æterno præcivisse, necessitate scilicet*  
*consequentia, non consequentis.* Eodem modo sine cauta di-  
stinctione horum graduum necessitatis nequibus verè di-  
gnoscere *promissiones & decreta Dei:* Omnia enim illa anne-  
xam habent limitationem sive conditionem. Sic rectè dici-  
tur, *necessario erit resurrectio mortuorum, quia Deus de ea*

*edidit decretum. Necessariò erit iudicium extremum, quia Deus id futurum promisit. Quantum porrò commodet doctrina & distinctiones Contingentiæ in confesso est. Libertatem ponit in rationalibus Contingentia Intrinsicæ. Et Deum non agere ex absoluta necessitate suo modo manifestat. Contingentia Extrinsicæ à Deo removet omnia impedimenta, quod nequeat in suis actionibus ab ulla causa inhiberi. Sipienti fati.*

*Abusus doctrine de Necessario & Contingente cernitur in illis, qui partim incogitanter, partim malitiosè confundunt Necessitatem Absolutam & hypotheticam, & ex hac perperam detorquere conantur omnia fieri necessariò, adeoq; tollere contingentiam è rebus desudant. Calviniani multum incrustant in articulo de causa peccati, dum ex prescientia divina elicere satagunt peccata esse necessaria: Ubi potius scire debebant, quod prescientia Dei non imponat rebus necessitatem, sed hypotheticam necessitate saltem prævideat res, quales sint futura, ut in quæst. ostendetur. Non sanè minus Calviniani suis dogmatibus (utpotè quibus ob absolutum decretum divinæ providentiæ adscribunt lapsum primorum parentum) tollunt ex actionibus humanis liberum arbitrium atque Stoici. Sive enim necessitas fati ponatur in astris, sive in divina voluntate, semper importatur necessitas immutabilis. Confer Dn. Jac. Mart. in part. Met. lib. 1. sect. 10. Neq; hoc sufficit istis homuncionibus, sed mira audacia Deum necessitati Physicæ alligant, parum sceus ac Stoici. Quid enim aliud præsumunt ferè ubique, quàm Dei potentiam dijudicare ex cursu & necessitate naturæ? Ubi non urgent necessitatem rerum naturalium, etiam in summis fidei mysteriis? Utinam attenderent, quod Necessitas corporum naturalium sit dependens & non summè absoluta. Utinam cautè probeq; observarent discrimen, quod longè lateq; intercedit inter Deum ceu Independens agens, & inter agentia Physicæ. Is, quia in sua necessitate à nullo dependet, planè nequit extrinsecè impediri,*



pediri, si quid agere allubet: adeoq; ad ipsius nutum ne-  
cessario semper sequitur effectus: *Sed longe aliter se res ha-*  
*bet in creatis & dependentibus agentibus, quæ utut necessariò*  
*agant, facile tamen possunt inhiberi, aut planè immutari à*  
*Deo.* Hinc eruditè admodum Reverendus & Excell. noster  
*Phil. Theol. Dn. Jacob. Mart. Exerc. Metaph. 5. Theorem. 6.*  
duo posuit discrimina agentis Dei & Physicorum agentium.  
De quibus vide ipsum. Porro abutuntur hac doctrina illi,  
qui *Necessarium Independens opponunt dependenti,* Et contra:  
adeoq; indè duplicem eamq; oppositam & contradictoriam  
veritatem, nempè Philosophicam & Theologicam intor-  
quent. Quam ineptè autem illud præsumant, vide apud eua-  
dem ibidem. Deniq; hac doctrina valdè abutuntur, qui  
*Confundendo Contingentiam in universali cum Contingentia*  
*in particulari commiscent,* adeoq; perperam argumentantur  
*à necessitate Contingentia ad necessitatem rerum contingen-*  
*tium.* Hoc enim nihil aliud est, ac si ita vellem colligere:  
*Necessarium est voluntatem esse: Ergò res voluntaria sunt ne-*  
*cessaria:* Ubi sanè manifestissima sit contradictionis impli-  
catio. Et hæc hac vice quoad Usum & Abusum doctrinae de  
Necessario & Contingente.

#### A X I O M A T A.

1. *Omne Ens aut est necessarium aut Contingens.* Planum  
hoc est, & satis constat ex thesibus.
2. *Necessarium & Contingens integris distinguuntur essen-*  
*tiis.* Scal. Exerc. 39. Puta privis distinguuntur definitioni-  
bus.
3. *Necessarium est quodcunq; se aliter habere nequit.* Et hoc  
ex thesibus patet.
4. *Necessitas essendi ex se soli uni naturæ convenit.* Intelli-  
ge necessitatem independentem sive summè absolutam. De qua  
dictum est in thesibus.

5. *Quic-*

5. *Quicquid est æternum, illud est absolutè Necessarium.*

Quia semper fuit, semperq; erit, & nequit non semper fuisse aut permanere in esse. Intelliges autem *æternum* tale, quod *intrinsecè* & *ex sua natura* est æternum tum *à parte ante*, tum *à parte post*, quale est solus Deus. Non verò axioma loquitur de eo, quod *per gratiam* & *extrinseca donatione* est æternum, ut angeli in æternum manebunt, & homines in altera vita accipient æternitatem.

6. *Solum primum est absolutè Necessarium:* Scilicet hoc solum simpliciter est invariabile quoad essentiam: Etiam summè liberum & ejus actio à nullo impediri potest.

7. *Ut extra primum esse dantur & alia entia; sic quoq; in illis quedam obtinet necessitas.* Quædam, inquam, necessitas est in rebus extra Deum ceu primum ens positis. *Absoluta* enim illa & *omnibus modis perfecta non dari potest in illis*, nisi forsan secundum quid, & in suo genere. Sic datur *necessitas quedam in angelis*, in cœlo, in omnibus corporibus naturalibus tum simplicibus, utpotè Elementis, tum mixtis, sed tamen illa non est summè absoluta sive absolutissima cum sit dependens.

8. *Quod fit nature ordine, necessario fit.* Cum natura ita sit à Deo constituta, ut in sese sit rata, stabilis & immota.

9. *Necessitas & Contingentia non nisi ex causis proximis estimatur.* Constat enim, quod aliquid possit esse contingens, si maximè *influxus cause remotæ & universalis* sit necessarius. Indè ergò nequit judicium ferri de conditione effecti, num sit contingens vel necessarius.

10. *Omne quod est quando est, necesse est esse.* Scilicet quoad actum essendi, non verò ratione causæ antegressæ.

11. *Entia ex hypothesis necessaria, sunt etiam contingentia.* Et quidem ἀπλῶς sunt *contingentia*, non verò, nisi κατὰ τὴν *necessaria*. Non enim habent necessitatem, nisi ob aliquod antecedens, quod ponitur; Quo posito necessariò quoq; ponatur consequens.

12. Con-

12. *Contingentia in rebus omnino est reliqua.* Philip. 1. Phys. p. 50. Variis fundamentis id contra fatum Stoicum confirmari potest. De quibus consule *part. Met. Dn. Jac. Mart. l. 1. sect. 10. q. 2. &c.*

13. *Contingentiam & libertatem rebus qui adimit, is Deum peccati auctorem constituit.* Quippè tum fieret peccatum necessariò, adeoq; dispositione causæ primæ.

14. *Divina præscientia non tollit rerum contingentiam.* Scilicet Deus præscit res earumq; actiones, uti in se sunt, at verò *multa in se sunt contingentia.* Ergò etiam à Deo præsciuntur, ut *Contingentia.* Ergò per illam præscientiam Dei nullo modo tollitur Contingentia rei. Imò *magis per illam confirmatur contingentia & libertas rerum,* ut alibi loquitur Augustinus.

15. *Libertas non omnem statim tollit necessitatem.* Tollit enim saltem *coactionis necessitatem:* Quippè opponitur coactioni libertas. Undè quod liberum est, nequit esse coactum. Hinc rectè dicitur, quod *voluntas non cogatur;* quia natura voluntatis est libera: Verum *libertas non tollit necessitatem honestatis vel hypotheseos.* Sic Studiosus Wittebergam à parentibus missus liberè impallet literis. Voluntas enim ipsius libera est, & nequit cogi. Attamen hic *intercedit necessitas quadam honestatis & hypotheseos,* ubi ratione officii, ratione mandati, ratione debiti, ratione promissionum necessariò invigilat studiis.

16. *Non valet Consequentia argumentandi à necessitate contingentia ad necessitatem rerum contingentium.* Illa Universaliter sumpta necessaria est, ut ex theii 63. constat. Verum non potest, nec debet inferri, quod Contingentia particularis, quæ cum ipsis rebus quasi concrefcit, etiam sit necessaria. Hæc enim opponitur necessitati. Constat è thesibus, quod non liceat ita inferre: *Voluntas est necessaria, sive voluntatem esse necessarium est.* Ergò etiam res voluntaria sunt  
D  
necessaria.

*necessaria.* Manifesta enim fit contradictionis implicatio. Quis enim non videt rem voluntariam non posse necessitatis vincula ferre, aut quis non turpem ἀνιδρογίαν animadvertit in eo, quod liberum esse dicitur, & tamen nequeat se aliter habere. Maneat ergo Contingentia rerum, ut ita Stoicorum fatalis necessitas vel per hanc distinctionem prorsus evadereur.

17. *Omne Contingens est suâ naturâ corruptibile.* Quia scilicet est Ens dependens. Ergo ab eo, à quo dependet, destitui potest. Ergo est corruptibile.

## QUÆSTIONES.

### I.

*An detur medium inter Necessarium & Contingens?*

Ita putant Conimb. l. 8. Phys. cap. 2. q. 5. art. 1. metuentes, scilicet ne actiones DEI cogantur dicere Contingentes. Sed omninò vanus est metus. Cur enim Contingentiam Deo non tribuamus? modò cautè distinguatur inter contingentiam *intrinsecam* & *extrinsecam*. Hæc quidem Deo non convenit; *Illa*, prior tamen quàm maximè in Deum cadit, cum *libertas* omninò maxuma in Deo obtineat. Quod verò nonnulli dicunt, *istam Contingentiam inferre mutabilitatem, nihil est.* Non enim hæc in Deum ipsum cadet, sed in res extra Deum positas. Et sanè è dictis patet, quod *mutabilitas & contingentia non planè sint unum & idem.* Rectè ait Taurellus de rerum æternum. *Libera voluntas Contingentiam præ se fert perpetuò, sed non mutabilitatem. Tum enim mutabilis dicitur voluntas, si levissimâ etiam de causa quamvis in partem statim flectatur:* Contingenter autem Deus operatur, quia etiam non operari posset. Adhuc ergo stat immediata Contrarii & Contingentis oppositio, ita ut inter illa nullum detur medium.

II. *An*

## II.

*An omnia, quæ DEUS præscit, necessario fiant?*

Distinguendum hic est *inter necessitatem consequentis, & necessitatem consequentia.* Quod hanc spectat, affirmatur quæstio, uti ex supra dictis patet. Hæc enim, necessitas consequentiæ, non tollit Contingentiam. Sed *quoad Necessitatem consequentis omninò negatur Sæpius.* Non enim præscientia Dei imponit rebus aliquam necessitatem. Ergò quæ ex se sunt contingentia, etiam contingenter fiunt, etiamsi infallibiliter præsciantur à Deo. Patet hoc insuper, quia *præscientia Dei non est causa rerum, quæ fiunt.* Neque enim *proxima* est, neq; *remota.* Non *proxima*, quia aliàs ut præscientia Dei fuit ab æterno, sic quoque ab æterno fuissent res, quæ demum post eveniunt. Id quod ridiculum. Adde hoc dilemma: *Aut Deus scit, se hoc momento posse ex lapide facere homines, aut nescit.* Si illud, *necessum erit illo ipso momento fieri ex lapidibus homines* (quamdiu nempe Scientia Dei statuitur causa rei præscita.) *Si hoc, Deus non erit omniscius.* Quod cum absurdum sit, ex priore colligitur, quod scientia sive præscientia Dei non sit causa proxima rerum, quæ fiunt. Hinc *Deus & mala omnia præscit, nec tamen ullius est causa.* Similiter neq; *remota* causa est. Non enim *propterea aliquid evenit, quia Deus præscivit, sed quia futurum est, ideò scitur à Deo, antequam fiat;* haut absimiliter ut se habent prædictiones Astrologicæ, itemq; visiones humanæ. Dum video aliquem scribentem, is necessario à me videtur scribere, interim non scribit necessario propter meum visum, sed quia dum scribit, non potest non simul scribere: Ita quoq; *Deus in presenti omnia intuetur, & eo modo, quo fiunt; interim ob illam visionem DEI non fiunt necessario* (si namque aliter fierent, aliter

aliter etiam præviderentur à Deo.) Sed, quia eo ipso dum  
tiunt, non possunt simul non fieri, necessitate consequen-  
tiæ. Ita semper *præscientia divinæ effectus non est, ut res ali-*  
*qua sit sive fiat, aut hoc vel illo modo fiat, sed proprius ejus effe-*  
*ctus est VIDERE, & SCIRE ITA FIERI.* Aliàs autem  
notum est, quod esse rerum sit à potentia Dei, & à volunta-  
te ejus omnipotenti. Ita enim à Deo omnia facta & creata.  
Proindè urgeamus *dictum Augustini, quo ait: Neminem Deus*  
*ad peccandum cogit, prævidet tamen eos, qui propria volunta-*  
*te peccabunt, cur ergò non vindicet justus, qui fieri non cogit*  
*præsciis? Sicut enim nemo memoria sua cogit facta esse, qua*  
*præterière; Sic Deus præscientia sua non cogit facienda, qua*  
*futura sunt: Et sicut homo, quæ facit meminit, nec tamen o-*  
*mnia, quæ meminit, facit; ita Deus omnia, quorum ipse au-*  
*tor est, præscit, nec tamen omnium, quæ præscit Deus, autor*  
*est. Quorum autem non malus est autor, justus est ultor.*  
Hactenus Augustinus citante Dn. Jac. Mart. in *præl. Met. l. i.*  
*cap. 14.* Quocirca stat negatio quæstionis. Imò si maximè  
daretur, quod Scientia Dei sit causa rerum fiendarum re-  
mota, non tamen indè sequeretur necessitas. Rectè Tho-  
mas ait: *Licet causa suprema sit necessaria, tamen effectus po-*  
*test esse contingens propter proximam causam contingentem.*  
Sic semper quidem causa remota (nempe influxus cæli, Solis  
&c.) est ubiq; necessaria, sed tamen quando causa proxima  
est contingens, effectus etiam ita sequitur. Nam omninò ita  
est, quod *motus cause superioris modificetur in causa secunda*  
*secundum modum ipsius cause secunde, adeò ut causa remota*  
*semper concurret cum necessariis necessario, cum contingentibus*  
*Contingenter.* Sicut enim lumen uniformiter prodit ex  
Sole, & tamen pro diversitate nubium abit in varios colores;  
ita unus semper est influxus, sed determinatur à causis reci-  
pientibus. Apparet itaque, quod *necessitas* (ut & Contingentia)  
non debeat æstimari ex actu existendi, neq; ex causa  
remota,

remota, sed *ex causis proximis & immediatis*. Si hæ determinatè se habent ad effectum, tum demum sequitur effectus necessario. Quod si verò indeterminatæ sint, manet effectus Contingens, licet vel maximè causa remota universalis ad illum influat necessariò.

### III.

*An Necessitas demonstrationis equè necessariò sit vera,  
atq; est Necessitas definitionis?*

Ita multis videtur, cum utriusq; absentia implicet contradictionem: Et quidem si in finita potentia nostræ contemplationes terminarentur, fortè omnibus ita videretur, sed quando ulterius progredimur & ad causam *infinitam* ascendimus, nonnihil oritur vel oriri potest dubium. Primò enim certum est, quod *affectio propria, quæ producitur à forma, & inducitur in compositum, dependeat à forma, non per formalem, sed per efficientem actionem, ita ut forma ad suas proprias passiones sese habeat, ut causa efficiens externa*. Est quidem *principalis forma causalitas* in Composito *formalis*, quâ Compositum in specie certa constituit, sed tamen deinceps *altera* est, eaq; *minus principalis efficientis*, quâ nimirum, ut causa efficiens, per emanationem, in composito producit affectiones. Hinc jam *duplex Dei requiritur concursus*: *Ulnus*, ut forma possit constituere formaliter compositum; *alter*, ut possit eadem forma ex se quasi producere accidentia propria. *Quæstio nostra dubia indè oritur*. Dubium enim est & controversum, *an Deus possit influere in formam* (v. g. in animam) ut actu informet & hominem constituat, ita tamen, *ut alterum influxum ad efficiendi rationem suspendat?* Si hoc concedatur, & nostra quæstio neganda erit. Et quidem omninò res respectu Dei ita se habet. Etenim *conkursus DEI ad causas secundas planè est liber,*

*Ex voluntaria Dei dispositione procedit. Quod si ergo Deus velit abstinere ab influxu formæ, quo efficit affectiones, nequam poterunt istæ affectiones sequi. Ergo tunc erit essentia compositi sine propriis accidentibus. Ergo ibi exspiret oportet Necessitas demonstrationis, & cedat necessitati definitionis.*

IV.

*An Contingens effectus, quando jam est, adhuc sit Contingens?*

Hæc quæstio difficultatem non habet de Contingente quoad fit, aut quoad transmutabile est: Sed de eo momento controvertitur, quo *Contingens in actu est*, an tunc esse possit, & non possit; cum juxta vulgare dictum, omne quod est, quando est, necesse est esse. Solvitur autem hoc dubium, si *Contingens consideretur*, vel *ut est in naturâ suâ*, vel *ut determinatur ad tempus aliquod*. Ex naturâ suâ semper Contingens est, quia si contingens non esset, ratio dari non posset, quomodo Ens in modos Necessarii & Contingentis dispesci deberet. Verum si *determinationem*, quæ fit à tempore, *respiciamus*, tunc Contingens propter hoc ipsum tempus, *est necessarium*. Hinc supra allegata communis sententia, intelligitur in sensu composito, non disjuncto.

V.

*An necessarium sit Deum ob summam perfectionem solum agere sine concursu causarum secundarum?*

Negatur. Non quidem DEUS, quippe *undevôs evidens*, opus habet illo concursu sive cooperatione creaturarum: Interim malè sonat connexio ista: *Deus non indiget creaturis*,  
Ergo



*Ergò agit solitariè.* Nam DEUS *admittit creaturas* non ut  
imperfectiõnem, quã careat, suppleant, sed *ut ipse bonita-*  
*tem communicatam per illas exerat.* Et quid? Sanè si Deus  
solitariè ageret sine cooperatione causarum secundarum,  
non video, quomodo non æquè debeat urere aqua, quàm  
ignis: scilicet Deus indifferenter ad quasilibet res concurre-  
ret. Maneat proinde, quod Deus *liberrimum agens,*  
ex benignitate sua cooperetur creaturis, & cum  
illis agentibus operetur undi-  
quaquẽ.



Ad



Ad Literatissimum Dn. Respondentem:

**P** *Alladias pulchrum est semper sudare per artes  
At teneris, quando tempora nostra vigent.  
Querere ducenda vitæq; viaticum honestum,  
Atq; simul senii dulce levamen optans:  
Attamen haut quemvis fert impetus unus ad artes,  
Sed labor assiduus nocte dieq; juvat.  
Id benè perpendes, dum non otiaris, sat usq;  
Incumbis Musis sollicitante animo.  
Maçte animo, nec te sudor deterreat ullus,  
Nitere conando, sicq; nitere potes.*

Gratulabundus

*ita fovebat*

SAMUEL RINOVIVS,  
Havelbergâ Marchicus.

F I N I S.




AB: 67  $\frac{5}{c, 10}$

ULB Halle  
003 357 104

3







B.I.G.

Farbkarte #13



O N U M  
 I C A R U M  
 M A,  
  
**S A R I O**  
  
**E N T E,**  
  
 R I O annuente,  
 O I O  
**S C H A R F I I**  
 axonis,  
  
 m Academiâ  
 det  
**I N O V I U S**  
 arch.  
 s matutinis,  
 ore.  
  
 G Æ  
 I A N I T H A M,  
 r.  
 X I I I .

